

DISPUTATIO METAPHYSICA  
Ad  
L. II. Metaphysic. Aristotel. cap. 2.

Adversus

Processum in Infinitum;

Qvam

*Assistente Divini Numinis Gratiâ*

&

Concedente Ampliss. Ordine Philosophico,

P R A E S I D E

Viro Maximè Reverendo, Amplissimo atqve

Excellentissimo

**DN.D. VALENTINO ALBERTI,**

P.P. Consistorii Electoralis & Ducalis Saxonici Asseſſore, Academiæ Decem-Viro, Collegii B. Mariæ Virginis h.t. Præposito, ejusdemq; ut & Nationis Polonicæ Seniore, Alumnorum Electoralium Ephoro, de omnibus atq; singularis Officiis longè meritissimo,

*Dn. Patrono atq; Præceptore suo, summa  
obſervantia Colendo,*

Die XX. Maji, An. M DC LXXXV.

In Academia Lipsiensi

H. L. Q. C.

publicæ Eruditorum Disquisitioni submittit

BENJAMIN RUDOLPHI Steinoviensis Silesius,

A. R.

LIPSIÆ, Literis Joh. Georg. *18.*

a. II. 20.

Coll. diss. A  
2, 20



Ad  
*Eximum atque Doctissimum*  
**DN. RESPONDENTEM,**  
Civem atque Auditorem suum *Diligentissimum*  
*Dilectissimumq; ve*

PRÆSES.

**A**ΦΙΟVΙΑ χολῆς : Otii abundē. Hoc nimi- Plutarchus  
rum illud erat bonum , de qvo gloriabantur de Institut.  
olim Lacedæmonii , suo in primis Lycурго Lacon. U-  
tantum beneficium adscribentes, gratoq; ve num hoc eximum &  
animo deprædicantes. Quid autem faciamus apprimè fe-  
Nos, qvi Philosophiæ studio dediti sumus, ipsiusq; ve DEI lix fecisse  
gratiā otii abundē in eo invenimus? Enim verò magna & videtur Ly-  
spatiosa res est, Sapientia : Vacuo illi loco opus est : de divinis huma- curgus ci-  
nusq; dicendum est, de præteritis, de futuris, de caducis, de æternis, de vibus, Otii  
tempore &c. Quamcunq; partem rerum humanarum divinarumq; abunde.  
comprehenderis, ingenti copia quærendorum ac discendorum fatiga. Seneca  
beris. Est tamen & hīc, ubi svaviter qviescamus, hone- Epist. 89.  
stissimoq; inter ipsa negotia otio tandem perfruamur. In Aristoteles  
infinitum enim , qvi solus infinitus est, nos meditando I. Posterior. A-  
scrutandoq; procedere, noluit Deus. Nec una via est, qva nalytic. XX  
liceat Nobis ad hunc limitem pertingere : bivium nobis I. & XXII.  
patet, idq; ve non anceps aut periculosum , sed tutum atq; certum, ut tam sursum qvām deorsum versus (ἐπὶ τὸ ἄνω καὶ 27. I. Me-  
ἐπὶ τὸ κάτω) non possumus non ad finem atq; quietem taphys. II.  
rectissimè pervenire. Nisi verò nostrum hoc bivium  
cum illo Herculis, hīc ad malum, ibi ad bonum perducen- 7.  
te, in eo comparari potest, qvōd hinc descendendo , tan-  
dem perveniamus ad exilissima vilissimaq; , illinc ascen- den-

I. Physic. X.  
3. s. 5. Etio  
et Phizetor  
Egatov.  
VII. Me-  
taphysic. 3.

dendo, ultimò in præcellentissimis perfectissimisqve rebus subsistamus. His gradibus in Physica descendimus à toto ad partes, quando ad materiam tendimus, in qvam ultimò resolutionem fieri, in ejus definitione Philosopher Noster adnotavit. Sed hæc quantillum, qvam exile ac vile Ens est! adeò qvidem, ut id Aristoteles ipse propè inter Non Entia, cùm nec substantia (completa,) nec accidens sit, abjecerit. Eundem in modum Mathematicus descendendo in numeris, tandem pervenit ad unitatem, tam exilis naturæ in ipso Arithmeticæ limine, ut nullo modo numeris annumerari possit. Idem in descendendo per dimensiones, subsistit in puncto, tantillo omnino, ut à nihilo parum absit, cum in hac rerum universitate nullibi ostendi possit aut sentiendum exhiberi. Ascendendo verò Metaphysicus pertingit ultimò ad Deum ipsum, tantâ facilitate atq; felicitate, ut hâc viâ etiam Ethnici progressi sint ad inveniendum & cognoscendum Deum. Eodem tramite Ethicus à bonis interioribus ascendit ad summum, qvod tantæ perfectionis est, ut ille altius in suo foro ne qvidem tentet aut audeat aspirare. Hâc viâ Politicus à Magistratibus inferioribus perducitur ad Supremum, tantæ in hoc mundo dignationis & potestatis, ut secundem ab ipso Deo locum jure meritoq; habeat teneatq;. Imò verò, si exactius, ceu par est, negotia publica ponderentur, per hujusmodi ascensum Christianus Politicus saltem non semper ad Deum ipsum evenhitur. Cur autem de Christiano Politico tantum loqvor? Nullus enim est Christianus, qvi hanc ultimam fortunarū suarum Analysin in Deum instituere non possit, qvi non debeat. Dicere vero vix possum, qvam hæc methodus oblectet pium animum atq; tranquillet. Si ad præterita in utraq; fortuna respiciat, ad hunc limitem suum perve-

perveniens exclamabit lætissimus: *Bene omnia fecit*; si ad Marc. VII.  
futura, plenisimus spei dicet: *Ipse faciet*. Quid idoneum 37.  
magis, qvid efficacius ad veram animi quietem compa- Ps. XXXVII  
randam conservandamq;? Non potui autem non hujus  
meminisse, ubi & Te, *Amice Charissime*, in hac Tua, con-  
tra processum in infinitum dissertatione ad Deum  
in primis inter exempla prudenter respexisse, eum-  
que tanquam metam causarum rerumq; omnium piè con-  
siderasse, deprehendi. Usus autem ille, qui modo à me,  
descriptus est, cum practicus sit diciq; possit; Tu in Theo-  
retico eruditè demonstrando potissimum occupatus fui-  
sti. Qvām aptè! qvām utiliter ac prudenter! Ad extre-  
ma nimirum studii Tui Philosophici postquam pervene-  
ras, supremum hunc in eo laborem suscepisti, ut in in-  
finitum non progrediendū, in Deo verò hic quoque in pri-  
mis subsistendum esse, doctè atq; piè ostenderes, & sicut  
alio tempore sub dexterimo moderamine Collegæ  
mei atque Civis Conjunctionis, à brutis ad homines,  
disciplinam nimirum illorum ad hos extendendo, ita jam  
à rebus omnibus ad Deum ipsum ascenderes. Plaudi-  
mus; tām laudabiliter omnia peregisti; ultima, qvæ sola  
superfunt, hodiè subjungentur: *Faxit DEUS: Feliciter!*

## C. B. D.

### Th. I.

**P**rincipia illa cognoscendi, quæ, ratione ortus sui, congenita, ratio-  
ne indemonstrabilitatis, prima vocantur, vel theoretica vel practi-  
ca esse, notissimum est. Notari verò meretur, quod cum Practi-  
ca non tantum omni tempore, sed & uno modō talia sint, tanquam di-  
ctamina, quæ honestum præcipiunt, in honestum prohibent; theoretica  
tamē sint duplia, dum nimirum alia de rebus ipsis, tanquam Theses  
certissimæ, nos informant, alia cognitionem nostram, tanquam Hypo-

theses universalissimæ, moderantur. Sic ambo illa : Deus est veritas prima ; & : Quicquid dicit aut revelat Veritas prima, id infallibiliter verum est ; theoretica sunt, ita tamen, ut prius de Attributo quodam DEI nos tantum certiores faciat, posterius simul nostram dirigat cognitionem.

### Th. II.

Non datur  
Processus  
in infini-  
tum,

Eximum est hoc Exemplum ; sed dignius adhuc notatu illud nostrum : Non datur Processus in infinitum. Hoc enim iisdem hisce verbis prolatum, utrumq; illud præstat, ut rebus simul ipsis, simul nobis limitem ponat, ultra quem in cognoscendo pariter atq; appetendo tendere haud debeamus ; tantum abest, ut ad unum genus horum Axiomatum unicè sit referendum. Vide, *infra Tb. 4. seqq.* Imò vero dūm in appetendo quoq; nos dirigit, eō ipso ad analogiam principiorum prædictorum simul accedit, tametsi nec honestum præcipiat, nec dishonestum prohibeat, sed à processu tantum in infinitum Voluntatem avocet atq; avertat.

### Th. III.

Testimonia  
Aristotelis.

Nihil vero apud Philosophum è certius est, nihil tritius. Quintque tamen loca eminent *Il. Metaphys. cap. 2. XII. cap. 3. seqq. VII. Physic. cap. 2. VIII. cap. 5. I. Posterior. Analyt. cap. 19. 20. 21. 22.* In his omnibus satis clarè illud invenias. In primò sub initium statim : *At vero quoddam esse principium, nec infinitas esse rerum causas sive progressionē rectā sive specie, perspicuum est.* In secundo, initio *cap. 6. De bâc (Causa prima) dicendum est; nempe necesse esse, perpetuam aliquam & immobilem substantiam esse.* In tertio, verbis initialibus : *Non tamen (motus unius ab altero) in infinitum procedit : Sed alicubi fistitur, & erit aliquid, quod primò causa erit Motionis.* Nisi enim ita sit, in infinitum procedet. In quarto, textu 3. *Impossibile est, id quod movet, ipsumq; ab aliō movetur in infinitum abire : quandoquidem infinitorum nihil est primum.* In quinto, principio c. 20. *Quod media non possint esse infinita, si tamen deorsum quā sursum versus Attributioes consistant, manifestum est.* Etc. Præterea, in prioribus quatuor locis Aristoteli tam absurdum videri Processum in infinitum, ut impossibilitate eius tanquam notoriā, in gravissimis questionibus secure nitatur, è paucis illis, quæ allegavimus, verbis, simul intelligis. Quam ob causam Commentatores tam in Metaphysicam & Physicam, quam in Logicam eius, de Axiomate nostrō similiter egerunt,

sed

sed parcus; dubio procul, quod per se sit notum; plenius Scholastici,  
Thomistæ in primis in 1. qv. 2. art. 2. ubi disputat hujus Scholæ Magister;  
*Vtrum DEum esse, sit demonstrabile?* & art. 3. in quô querit: *Vtrum  
DEus sit?* Conf. ejusdem lib. 1. contra Gentes c. 13. de rationibus, ad pro-  
bandum DEum esse.

Th. IV.

Inter loca Philosophi primus est primarius. Cum enim in quin- Primarium  
to de usu Axiomatis nostri in cognoscendo, in secundo verò, tertio & ex iis,-  
quartô speciatim de primô Motore agatur, factâ nimirum ad illustre hoc  
Exemplum Axiomatis nostri applicatione; in illô generaliter de eodem  
agit, ita quidem, ut omnia illa tria, quæ Nos suprà in Th. II. principio  
huic theoretico accidere notavimus, ille de eodem *ibi dem* distinctè affe-  
rat, solideq; probet. Nàm (1.) sub initium statim assunxit res aliquas,  
quatuor nimirum causas, ostenditq; necessariò dandam esse primam cau-  
sam tùm in quolibet genere causalù progressionē rectâ, (*εἰς οὐδυωρίου,*)  
hoc est, individua causalum in eadem specie non esse infinita; tùm eti-  
am in diversis generibus, secundum speciem (*καὶ σιδός,*) quod est, non  
dari diversas specie causas in infinitum. Pleniùs hæc demonstrat in  
efficiente, materia & fine, satis esse putans, si hâc in re harmoniam formæ  
tantùm indicaret; Similiter, inquiens, *res habet in eo, quod quidq;* est,  
*τοῦτο ην εἴναι,* hoc est, *informa;* cum certum sit, singulas species propri-  
am aliquam habere atque singularem. Deinde (2.) à Cognitione hunc  
Processum removet Text. 7. *Cognitio ipsa evertitur* (*εὐστάχεια*), ut planè non  
sit aut in nihilum abeat.) Quæ enim hōc pactō infinita sunt, quomodo in-  
telligi possent? & in fine capit is: *Si etiam causalum species infinitae essent,*  
*neḡ, hoc pactō effet Cognitio;* Tunc enim nos scire putamus, cum causas  
cognoscimus; id autem quod additione infinitum est, tempore finito percur-  
ri nequit. Tandem (3.) inter appetendum etiam nullum hūc processui  
locum relinquit, text. 8. *Qui Infinitonem* (*τὸ δὲ τεῖχος*) *inducunt,* non anti-  
madvertunt, se boni naturam de mediò collere. At qui nemo agere quic-  
quam aggredetur, non perventurus ad extremum. Neḡ, vero in his  
menti (aut qui mente utuntur, consideratè & non temerè aut Naturæ im-  
petu agentes,) locus relinquitur. Semper enim alicuius reigratia agit,  
qui mentem habet: *Hoc enim extremum est, quandoquidem finis extre-  
num.* Tām signata igitur vestigia tanti Ducis & nos prememus, ac u-  
trōq; oculō ad hoc eius Testimonium, alterō verò ad reliqua, imprimis  
in applicatione ad exempla, respiciemus.

Th. V.

### Th. V.

Vis hujus Axiomatis illæ, quæ essentialiter sunt subordinatæ, ita, ut inferior à superiori in cau-  
di. in subor- dinatione causarum efficienti-  
um. Inter causas eminentes interque has, si plures concurrant,  
sunt subordinatæ, ita, ut inferior à superiori in cau-  
datione causarum efficienti-  
um. ex natura sua dependeat. In his processum in infinitum non da-  
ri, probat *text.* 6. quia non positâ primâ causâ, quæ sit causa reliquarum,  
ut ait, hoc est, à quâ reliquæ in causando pendent, reliquæ nihil possunt  
efficere. Näm si scala huiusmodi causarum in infinitum extendatur,  
nullaque sit prima causa, etiam nulla erit media & ultima sive proxima;  
quia ultima non movet, nisi cooperante s. movente mediâ; & hæc non  
movet nisi cooperante & movente primâ : Si autem nec ultima nec me-  
dia movet, nulla movet; alia enim nulla, admissò processu in infini-  
tum, restat.

### Th. VI.

Tametsi verò hoc Argumentum de Causis essentialiter subordina-  
tis tantum adducit Philosophus; ob quam causam nonnulli, Thomistæ  
imprimis, id de accidentaliter subordinatis non valere putant; Scotus  
tamen cum suis vim eius ad has quoque extendit. In his etiam dico, in-  
quit Smisengius Tom. I. Disp. Theolog. p. 23. excludi progressum in infini-  
tum, nisi stetur in aliquâ causâ extra collectionem infinitarum causarum  
per accidens subordinatarum, quæ sit causa totius Motionis & ipsa non sit  
per accidens subordinata alteri causæ, seu non habeat esse ab altera, ut  
rectè Scotus i. dist. 2. q. 2. §. quantum ad 1. circa medium. Patet, quia  
etiam, ubi non est primum in essendo, nec est medium vel ultimum; Ergo  
si non est primus Homo, nec sunt medii nec ultimus. Confer omnino Sva-  
rez. Disp. Metaph. 29. Sect. 1. §. 34. seqq.

### Th. VII.

Quod si verò tanta vis utrique prebandi modo inest, sicut omni-  
Usus hujus no inest, facile intelligis, quam clare, quam certò per hujusmodi a-  
Scalæ in scensum à causis secundis ad primam, ab Entibus inferioribus ad supre-  
Theogno- mum, quod est, ad DEUM ipsum ascendatur & perveniat. Nam  
fia.

(1.) Causæ secundæ subordinantur primæ, ut sic loqui liceat, essentia-  
lissimè, in tanto nimirum gradu, quantus in nullo alio exemplo, ne in  
causa quidem instrumentalí respectu principalis reperitur. Quanquam  
enim instrumentalis sine principali non minus ac secunda sine pri-  
ma, proorsus est otiosa; unde utrinque de dependentia in operari  
satis constat; in causa tamen secunda respectu primæ (2) simul est  
depen-

dependentia in fieri atque esse, & quidem non per accidens, sed per se, non mediate, sed immediate, ex absolute necessitate. Hinc argumentamur: Quocunq; posito aut admissio tollitur illa causa, sine qua nulla Creatura fieri, esse aut operari potest, illud non est ponendum aut admittendum. Atqui posito aut admisso processu in infinitum &c. E, non est ponendus aut admittendus.

### Th. VIII.

Enim verò argumentum Philosophi, quō ad primum Motorem nos per motum inferiorum Entium deducit, juxta dicta superius in Th. III. non omnibus videtur esse firmum. Hoc medium, inquit Suarez loc. alleg. §. 7. per se ac praece sumptum multis modis invenitur inefficax ad demonstrandum, esse in rerum natura aliquam substantiam immaterialem nedum ad demonstrandum primam & increatam substantiam; & in primis omitto principium illud, in quo tota illa ostensio fundatur: Omne quod mouetur, ab aliō mouetur; abduc non esse satis demonstratum in omni genere motus vel actionis: Nam multa sunt, quae per actum virtutalem videntur sese mouere & reducere ad actum formalem, ut in appetitu seu voluntate videtur licet, & in aqua reducent sese ad pristinam frigiditatem: Idem ergo accidere potest in motu locali. Atq; ita dici potest, cælum non ab alio, quam à se ipso moveri per formam suam aut aliquam virtutem innatam, ex qua talis motus resultet: Sicut motus deorsum resultat in lapide ex intrinsecā gravitate. Tametsi vero ipse in Operibus Theolog. noluit hoc argumentum & examen ejus suumque judicium repetere, cum alias in i. Thomæ L. i. c. i. in ventilatione quæstionis: An Deus necessariò sit? commodam omnino occasionem habuisset: Arriaga tamen id loco ejus facit in i. Thomæ Tomo I. Disput. 2. scđt. 4. subscđt. i. tam diligenter ac benigne, ut non tantum expresse sententiam Suarezii approbet, sed & uadōrum defendat. Huic, inquit, instantiae (Suarezii à motu gravium & levium petitæ, & passim respondent Thomistæ, gravia & levia moveri à generante. Verum ego arbitror vel eos evidenter rem falsam docere, vel nullo modo satisfacere difficultati Suarezii. Vel enim dicunt proprie & immediate omnem motum fieri à generante, & hoc apertè falsum est: Nam generans sàpè vel non existit tunc, vel omnino absens est: Videlicunt fieri à DEo, qui in locum generantis successit, & tunc existit intime præsens. Sed contra, quia non est recurrentum ad Deum sine ulla necessitate, nulla autem est in præsenti: Nam si generans

redit corpori suam gravitatem & levitatem v. g. igni sicut dedit calorem, haud dubie tam naturaliter ignis productus ex propriâ levitate producet in se eum motum sursum, quam producit calorem in alio subiecto, quin ea productio referatur in solum DEum. Tam acutum nimirum vident Juniores hujus Scholæ Philosophi & Theologi, cum antiquiores hanc imbecillitatem in Aristotele non observarint. In alia potius omnia Toletus, qui primus è Jesuitis Cardinalis creatus fuit, abit in L.VIII. Phys. Aristotel. cap. 6. qv. 6. approbans in primis rationem Philosophi, quâ DEum respectu omnium etiam Intelligentiarum esse finem, qui præexistat & moveat ipsas, ut amatum & desideratum, statuit. Plenius & clarius adhuc, more suo, Jesuitæ Conimbricenses in L.VIII. Physic. Arist. cap. 10. qv. 3. utrum primus motor secundum Aristotelis doctrinam infinita virtute polleat? Nam postquam in Art. 1. argumenta partis negativæ adduxerunt, mox in Art. 2. probabiliorem pronunciant eorum opinionem, qui arbitrantur Aristotelem cognovisse, primum motorem habere virtutem non duratione tantum sed & perfectione infinitam, adeoque illum ductu Axiomatis nostri, evitando processum in motu in infinitum, in notitiam DEi pervenisse. Quæ omnia è Recentioribus probat Franciscus Sylvius, à Braniâ Comes, Theologus Duacenus in i. Thoma qv. 2. Art. 3. suum non tantum sed & Dominicanî Monachi & Thomistæ notissimi calculum adjiciens, & : Quapropter, inquiens, merito Dominicus Bannes B. Thomam secutus ita ratiocinatur : Omne quod movetur, quounque motu sive spirituali, sive metaphysico, sive morali, ab aliò moveatur, & in ipsis motentibus non datur processus in infinitum : Ergo deveniendum est ad unum Motorem, qui ipsis motibus est omnia immobilia, qualis est DEus.

### Th. IX.

Hæc nimirum domestica illorum pugna est, quam inter se componant ipsi. Dissimulare tamen non possimus, inter nos etiam esse, qui hoc Aristotelis argumentum evertunt, negata eius Hypothesi, quod, quicquid movetur, ab aliò moveatur; quos inter nostro tempore facile Princeps fuit B. Sperlingius Institut. Physic. L. II. cap. 7. qv. 2 p. 433. seqq. Nec negare volumus, nobis etiam non omnes scrupulos evulsos esse, qui ascensuros per scalam illam ad primum Motorem vexare solent. Quapropter aliâ longè commodiori via incedemus; præsertim cum hac ratione Axioma Nostrum nullam nisi unius tantum Exempli, dubii adhuc atque

atque incerti, jacturam patiatur, quæ largissimè per alia longè firmiora  
mox resarcitur.

Th. X.

Notandum nimis est, Motorem primum & quemcunque aliud  
ipsi subordinatum, pertinere quidem ad causas efficientes, sed certos ha-  
rum esse gradus. Quis enim dubitet, illas quæ producunt subiectum  
ipsum, nobiliores esse istis, quæ tantum in subiecto operantur motum?  
Esto igitur, posse se aliquid movere se ipsum, cum antequam se moveat,  
jam sit existens; nihil tamen se ipsum producere valet, quod antequam  
producatur nihil est, cum non Entis nulla sit affectio nec actio: Ergo à  
productis Entibus tandem ad Ens improductum pervenientum est, in-  
que eo subsistendum. *Vid. Suarez disput. Metaphys. 29. sect. 3. §. 22. seqq.*

Th. XI.

Hoc vero Ens nihil aliud quam solum DEum esse, testatus est ipse  
*Exod. III. 14.* ubi de se singulari prorsus modo, quasi per Antonomasiam,  
affirmavit אֶתְנָה אֲשֶׁר אָתָּה Ego qui ero, aut, per Enallagen temporis,  
sum qui sum, sibi que nomen imposuit: Qui est; οὐ καὶ οὐδὲν, καὶ οὐ  
έρχομεν, *Apocal. I. 4.* Verbo: Καὶ εἶπεν. Videas quidem, non-  
nullos ex illo venerabili Patrum ordine ita loqui, ac si DEus seipsum  
produxisset. Ita Hieronymus in *Epist. ad Galat. c. III. 15.* (Tom. VI. p. 147.)  
Deum sui originem suæ causam substantie esse dicit. Durius adhuc La-  
tantius L. I. *Instit. divin. cap. 7. in fine:* DEus ipse, inquit, ante omnia ex  
se ipso est procreatus, ideoque ab Apolline αὐτοφυῆς, à Sibylla αὐτογενῆς  
αὐγέννητης & αποιητης nominatur; quod Seneca, *Vir acutus, in Ex-  
hortationibus* videt. Nos, inquit, aliundè dependemus. Itaque ad aliquem  
respicimus, cui, quod est optimum in nobis, animam debeamus. Alius nos  
edidit, alius instruxit; DEus ipse se fecit. Et L. II. cap. 8. Ex seipso est, &  
ideo talis est, qualem se esse voluit; impassibilis, immutabilis, incorruptus,  
beatus, aeternus. Verum enim verò crassiora hæc eorum dicta sano sensu  
accipienda & exponenda sunt, non positivè, ac si causa sui ipsius sit, sed ne-  
gativè, quod nihil aliud ejus causa sit nec esse possit. Quam Expositi-  
onem dum suggerunt ipsi, Axioma simul nostrum egregiè confirmant;  
Hieronymus d. l. *Nomen commune substantiae sibi propriè vendicat DEus,*  
quia cetera, ut sint, DEi sum sere beneficio. DEus vero, qui semper est, nec  
babet aliundè principium, & ipse sui origo est, suæq; causa substantiae, non  
potest intelligi, aliundè habere, quod subsistit. Et Latantius (1.) de

significatu negativō; in loco citat. secundo: Solus Deus factus non est, nō on  
est aliundē generatus, nec ortus, nec nativitas eius ex aliquā alia re penderet  
(2.) In loco cit. primo ad versus processum in infinitum: Retrahant ergā  
se homines ab erroribus, Et abiectis religionibus pravis, parentem suum  
Dominumqz cognoscant, cuius nec virtus estimari potest, nec magnitudo  
perspici, nec principium comprehendendi. Cum ad illum mentis humanae in-  
tentio, Et acumen, Et memoria pervenerit, quasi subductis Et consumptis  
omnibus viis, subsistit, bāret, deficit: nec est aliquid ulterius, quō progre-  
di possit.

### Th. XII.

Vulgaria verò argumenta, quæ Athei pro processu in infinitum ad-  
mittendo, eum in finem adducere solent, ut Theognosiam naturalem ad-  
mittere ne opus habeant. fculnea planè, potius straminea, prolixè addu-  
cit & refutat *Bernaldus de Quiros*, *Tract. 2. de DEo, disput. 13. sect. 3. 4. Et*  
*5. pag. 55. seqq.* Speciosissimum tamen, cuius ille non meminit, peti po-  
test ab æternitate, in quā processus durationis in infinitum videtur o-  
mninò dari. Dubito verò, an eleganter illud exprimere possimus quam  
verbis *Hilarii L. II. de Trinitate*, ferè sub init. Semper, inquit, ante evum  
(Deus) est, quia tempus ab eo abest. Curre sensu, si quidei putas ulti-  
mum esse, eum semper invenies, quia cum semper intendas, semper est, quā  
intendas; semper autem eius locum intendere, ita Tibi est, ut ei esse semper  
sine fine est. Sermo in eo deficiet, non natura claudetur. Iterum revolv  
tempora, esse semper invenies, Et cum numerus calculi in sermone defece-  
rit, Deus tamen semper esse non deficiet. In quocunque igitur progredi  
semper, nunquam autem ad finem pervenire possum, in eo datur pro-  
gressus in infinitum. Atqui in æternitate DEi &c. E. in ea datur &c. Rx.  
ad Minorem, progressionem hanc fieri κύρωσις, θεωρεών ve-  
rò (quæ est antiqua & recepta distinctio ex Athanaf. *Dial. 1. de S. Trinit.*) in-  
telegendam esse. Nostro enim modulo usi Nos, qui in tempore vivimus,  
in æternitate progressionem aut successionem æque ac in illo concipiimus,  
quam tamen, ex natura sua, nec in se habet nec habere potest, cum semi-  
per tota existat simul; sicut in puncto simul omnia sunt, nondum in fluxum  
progradientia; quod est simile Plotini *Enn. III. L. VII. cap. 2.* Bene itaque  
*Hilarius* in verbis proximè sequentibus: Intelligentiam (E. multò ma-  
gis corpus,) commove, Et totum mente complectere, nihil tenes. Totum  
hic (in Angelō) habet (in re ipsa) reliquum. Reliquum autem hoc  
(quod

(quod *αἰθέρωστούσ* concipis in D<sup>E</sup>o) semper in totō (in re ipsā) est. Ergo neq<sup>z</sup>, totum ei (Angelo) est, cui reliquum est, neq<sup>z</sup>, reliquum est (D<sup>E</sup>o) cui est esse, quod totum est. Reliquum enim (in Angelo) portio est, omne verò, quod totum est. D<sup>E</sup>us autem & ubiq<sup>z</sup>, & totus ubiq<sup>z</sup> est, similiter & semper, & totus semper est. Ita regionem Intelligentiæ excedit, & extra quem nihil est, & cuius est semper, ut semper sit. Clarius Tertullianus I. in Marcion. cap. 8 Non habet tempus æternitas, omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret etate, quod non licet nasci. D<sup>E</sup>us si est vetus, non erit; si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. D<sup>E</sup>us autem tām alienus ab initio & fine est, quām à tempore, arbitro & metatore initi & finis. Plenius adhuc Augustinus in Ps. CI. vers. 4. Non aliud anni D<sup>E</sup>i & aliud ipse D<sup>E</sup>us, sed anni D<sup>E</sup>i æternitas D<sup>E</sup>i est, æternitas ipsa D<sup>E</sup>i Substantia est, quæ nihil mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit, nihil est futurum quasi nondum sit, sed non est ibi, nisi Est. Non est ibi, fuit & Erit, quia & quod fuit, jam non est & quod erit, nondum est, sed quicquid ibi est, non est nisi Est. Diximus: plenius. Nam hic novum vides adduci argumentum, petitum ab identitate æternitatis ac Essentiæ divinæ contra processum æternitatis in infinitum: Quicquid ipsa est Essentia D<sup>E</sup>i, illud semper est simul, & consequenter in se non admittit successionem & progressionem in infinitum: Atqui æternitas D<sup>E</sup>i est &c. E. Sed hoc tanquam clarum & certum, ulterius pertendere nolumus.

### Th. XIII.

Commodè ab hac objectione transimus ad secundam causam; quippè quod illa desumpta fuerit ab Æternitate, hæc verò sit Materia, Vis eius ad quam (impropriè) Aristoteles, etiam refert tempus, quod non minus à matis (2.) maximo differat. Quando enim in eo est L. II. Metaph. cap. 2. text. 7. in causis ut, qui propriū sunt, duos materialis productionis modos recenseat, materialium hunc adjicit, veluti ex Isthmis, inquiens, ludi Olympici fiunt; sed bus. simul eundem tanquam improprium rejicit, accurate distingvens inter Post & Ex; *μή ὡς τότε λέγεται ΜΕΤΑ τότε, οὐον ΕΧ ιστοίων ολύμπια;* in quæ verba Fonseca not. b. Ille modus, quō solus ordo temporis designatur, improprius est & nihil attinet ad eos, quibus aliquid ex aliquo tanquam ex Materia fieri dicitur; quō pāctō apud Græcos ludi Olympici dicebantur fieri ex Isthmis, id est, post Isthmios, & nos fortasse dicere possemus.

bius, pascha fieri ex Quadragesima: Nam & latinè dicitur: Ex eō dñe,  
& ex eō tempore hoc vel illud factum esse, pro: post eūm diem, & post id  
tempus. Quam ob causam nos etiam hōc modō, ad transeundum com-  
modē ab una causa ad alteram, tantūm uti voluimus.

Th. XIV.

Duo verò proprii modi sunt; Alter, materiae immanentis, alter  
transeuntis. Per illum aliquid fieri dicitur ex eō, quod perficitur, totumq;  
manet in eō, quod fit, abjectā imperfectione, ut, cum dicimus, Virum  
fieri ex puerō. Per hunc aliquid dicitur fieri ex eō, quod corruptitur,  
nec permanet totum in eō, quod ex ipso fit, sicut dicimus Aërem fieri  
ex Aquâ; quæ exempla Aristoteles ipse suggerit; θεχως γαρ γίνεται τὸ  
διέκ τε δέ, η ἐκ παιδός αντίρρητος μεταβάλλονται, η εξ ὑδατος αἵρεται; quic-  
quid alii de transelementatione alias statuunt.

Th. XV.

Neutro autem modō, inquit Aristoteles ipse, d.l. fieri potest, ut  
progressus sit infinitus (εἰς ἀπειρον, in infinitum: ) Aliorum enim cum  
media sint, finis sit necesse est: Alia verò reciprocantur mutuò, quippe  
quod alterius corruptio alterius sit generatio. Quæ duæ probationes  
ita distribuendæ sunt inter duos fiendi modos, ut prima ad primum, se-  
cunda ad secundum referatur. In primo enim id, quō ex imperfectiori  
sit perfectius, illud medii, hoc finis rationem habet; quem in modum  
Natura intendit ex puerō formare virūm, aut Ars, (quod alterum apud  
Aristotelem Exemplum est,) ex discente scientem. In secundo verò  
sit reciprocatio (θετίρησαναιωνιτι.) Quanquam enim primò modō  
vicissim ex viro non sit puer aut ex sciente discens; secundo tamen ex  
aere vicissim sit aqua; secundum hypothesin Aristotelis, apud quem  
non tantum datur Transelementatio, sed est quædam κυκλογένεσις, aut  
generatio circularis. Prime probationis hic est nervus: Quæcumque  
materia est medium, in illa non datur processus in infinitum. At-  
qui materia in primò modo &c. E. Minor est certa ex dictis. Major proba-  
bitur mox in dicendis de causa finali. Secunda ille: Ubi cuncte mu-  
tatio fit reciprocè, ibi materia manet eadem; tantum abest, ut in ea  
progressus fiat in infinitum. Atqui in secundò modò mutatio &c. E.  
De minori jam constat. Major est clara; quia κυκλογένεσις illa fit in ea-  
dem materia prima.

Th. VL

### Th. XVI.

Liceat autem nobis post hæc Aristotelis Exempla, longè illustrius Usus huius utiliusque assumere, videreque, an in hoc universo partes sint infinitæ; scalæ in Nam hæ in mundo constituto loco materiae sunt, tametsi ille, cum ad doctrina huc esset constituendus, nullam prorsus ad miserit. Hinc Autor L. de de mun-  
Mundo cap. 2. mundum dicit esse ἐξ ὅρων καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τοῖς do.  
Φύσεων, ex Cælo & Terra &c. Academici ajunt, inquit Cicero quæst.  
Academ. lib. 1. partes esse mundi omnia, quæ insint in eō. Imo ipse H. de  
Natura Deorum: Nihil, inquit, est in omni mundo, quod non pars universi  
fit. Et quis dubitet præter Tiplerum, qui Physic. General. cap. 2. qv. 10.  
contenta in mundo, non partes, dari, inepte probat ex illo Pauli Act.  
XVII. 24. DEum fecisse mundum, & omnia, quæ in eō sunt. Quasi ve-  
ro Paulus ἐν πίθεοι Physicorum & Metaphysicorum de toto & partibus  
ibi observasset, & philosophico, non autem vulgari stilo usus fuisset! Sed  
hic est Spiritus vertiginis in Calvinianis haud raro, ut, cum doctrinas pu-  
rè Theologicas Mysterium de Omnipræsentia naturæ humanæ in Chri-  
sto &c.) è lumine Rationis oppugnant, philosophicas è popularibus  
Scripturæ dictionibus deducere ac confirmare non erubescant.

### Th. XVII.

Fuerè verò jam olim tam extra quam intra Ecclesiam, qui hoc Uni-  
versum ex infinitis mundis constare somniarunt. Cautè tamen inter  
Gentiles secernendi sunt illi, qui pluralitatem, & hi qui infinitatem eo-  
rum statuerunt. Inter illos eminet Plutarchus, qui in L. περὶ τῶν ἐκλε-  
λοιπότων γένεσηῶν aliquot argumentis plures mundos astruere cona-  
tur, revera verò destruit. Inter hos fuerè Anaxarchus, Anaximander, Ar-  
chelaus, Diogenes, Epicurus, Leucippus, Melissus, Xenophanes. Inter hæ-  
reticos olim eundem errabant errorem Manichæi, nec ab eo alienus est  
Origenes II. περὶ αἰρχῶν, qui non quidem simul, successivè tamen infini-  
tos mundos existuros, imò pro mundorum infinitorum redemptione  
Christum infinites passurum esse, absurdè impieque statuebat. Inter  
Recentiores etiam nescio quam ideā mundi infiniti fingit sibi Cartesius,  
Principior. part. 2. §. 21. Negat id fit ex mentis humanae inbecillitate vel im-  
potentia, sed ex positivo conceptu, quō talem mundi ideam in nobis experi-  
mūr, ut nullos in eā terminos nobis imaginari possimus; Burmann. Synops.  
T. 1. pag. 289. Quid clarius ex ore Præceptoris & discipuli? Cartesius ta-  
men ipse videns se laborare odio apud alios ex injuriâ, quæ in infinitum

Numen

Numen indē redundat, mundum indefinitum potius, quam infinitum dicendum esse ibid. part. I. §. 27. concedit; tūm ut nomen infiniti, soli DEO reservemus, quia in Eō solo, omni ex parte, non modō nullos limites agnoscimus, sed etiam positivē nullos esse intelligimus; tūm etiam, quia non eodem modo positivē intelligimus, alias res aliqua ex parte limitibus carere, sed negativē tantū, eorum limites, si quos habeant, inveniri à nobis non posse confitemur. Similia scripsit ad Henricum Morum nono & quadragesimo huius Seculi adeoq; penultimo Vitæ suæ Anno. Sed re. Etè in scholiis Morus Tom. alt. scriptorum philosophicorum p. 242. suspe. Etiam adiecit clausulam: Modò serio hic agat Cartesius! Quam serio vero agat, prodidit ipse. - Nām cum δευτέραι Φροντίδες soleant alias esse meliores, illæ in allegatis Principiis sunt deteriores; nisi bonitatem eiusq; mensuram petere velis ab erroris confessione, quæ in posteriori loco clarior est, quām in priori. Cognoscimus, inquit, Principiorum part. 2. §. 21. hunc mundum, sive Substantię corporeæ universitatem nullos extensionis suæ fines habere. Vbicunq; enim fines illos esse singamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinitè extensa non modō imaginamur; sed etiam verè imaginabilia, hoc est, realia esse percipimus, ac proinde etiam substantiam corpoream indefinitè extensam in iis contineri.

### Th. XVIII.

*Repugnat Scriptura.* Sic more suo, hoc est, graviter breviterque Coccejus in Genes. cap. I. §. 16. T. I. Oper. p. 2. Quo iētu prolernittam antiquos quām recentes è Christianis Novatores. Sed & in sequentibus eosdem simul, simul Gentiles solidè & nervosè refellit. Cælum & Terra, inquit (I.) non sunt αὐτεπον, quæ tamen duo constitunt imum & summum universi. E. nec universum ipsum. Nos quidem metiri non possumus, & est aliquid sine dubio maius cogitatione nostra; sed Deus cælum spithame metitur & moderatur Ef. XL. 12. Extensionem (2.) habent omnes hæ partes. Quæ extenduntur & initium extensionis habent & finem. Si non, simul habebit spaciorum partiumq; numerum & non habebit. Non habebit, quia αὐτεπον: Habebit, quia partes habet extra partes. Numerum autem infinitum mens humana non admittit. Quippe nullus Numerus est, cui non aliquid possit superaddi. Esse potestate infinitum & actu infinitum, contraria sunt. Potestate infinitum non continet omnia. Actu infinitum continet omnia. Aristoteles de Cælo I. 5. Ἀριστοτέλης δέ γομεν αὐτεπον, ὅτι μέγιστος ἔκ-εστι. Ubi vides primam rationem maximè

ximè concernere ac prosternere Adversarios è Christianis; secundam reliquos inter gentiles; ut brevissimis verbis proxilissimum otium nobis sit factum.

Th. XIX.

De Formis physicis, proprietatis sic dictis, sufficiat nobis illud Aristoteles: *conutus similizer*; quô jam supra in Tb. 4. de hoc causæ genere per dem (3.) compendium utebatur; adiectâ tamen à nobis ratione, quam *ibid.* in formis. vide. Quæ verò de Formis Metaphysicis (aut clarius, de' prædicatis essentialibus,) *text. 9. huius capit. subjicit & I. Poster. Analyt. cap. 22.* prolixius ducit, pertinent ad Processum cognitionis, de quô nos *infra Tb. 22. seqq.*

Th. XX.

Inter rationes autem, quibus à finibus processum in infinitum removet Philosophus, eminet ultima, in *text. 8. cap. nostri*; Nemo (admisso inter appetendum processu in infinitum,) agere quicquam aggredetur, non per venturus ad extremum. Quanta verò hæc esset Absurditas! Vis eiusdem (4.) in finibus eorumque aperte, cum nemo sit, qui agere quicquam non aggrediatur. Imò *Ars omnis, & omnis doctrina, itemq; actio & propositum, bonum aliquod expetere videtur;* sicut Catalogum eorum, in quibus finis intenditur, plenisimè conficit Aristoteles, inç ipso limine Philosophiæ moralis *L. I. Nicom. initio capit. 1.* adducit. In hoc vero appetitu boni necesse est, pervenire tandem ad extremum. Nam si appetibilia essent infinita, essent impossibilia; si impossibilia, ergò frustra; si frustra, ergò Deus aut Natura quid frustra nobis indidisset, nempè Appetitum; quod est absurdissimum; quâ scalâ Giphanus *Comment. in L. I. Nicom. cap. 1. p. 12.* ad supremum usq; absurditatis gradum ascendit. Nobis sufficit, quod & proprius, in nostro textu, ad mentem Philosophi accedit, appetiti satisfieri non posse, si procedendum ipsi sit in infinitum, ideoque, hoc admissò, indignabundum quasi, ab omni actu esse cessaturum. *Quis enim apprehendet, satis provisam esse rem frumentariam ob sessis fame pereuntibus, si singulos panes inedia necessarios singuli viri eadem fame pressi in castellum impugnatum introducant?* quod elegantissimum simile verbis minus elegantiibus, contra processum in infinitum inter causas efficientes, adducit Bernaldus de Quirios *l. cit. p. 57. §. 23.* Quanto rectius idem de finibus Nos adhibebimus. In urbe ob sessâ & ad incitas redactâ nemo est, qui cibum non appetat quam qui cupidissime: Sic etiam inter homines non est, qui cupiditate bonorum non ducatur. Singuli vero panes in civitatem

C

tatem

tatem inediā laborantem à singulis famelicis illati, universos saturare nequeunt; Sic etiam bona inferiora non explet desiderium nostrum; potius cupiditas utrobiusque, ibi saturitatis, hic summi boni, magis magisq; excitatur foveaturque. Hinc factum est, quod ab omnibus Philosophis Summum Bonum, quoad τὸ ὅτι (quod sit) agnoscat, tametsi quoad τὸ τί νῦν εἴναι (quid sit) à paucis cognoscatur. De finibus inveniendis, inquit Augustinus L. XIX. de Civitate DEi, cap. 1. atq; in hac vitâ Summo Bono adipiscendo, vitando autem summo malo, multum laboraverunt, quis studium Sapientiae in huius seculi vanitate professisunt: nec tamen eos, quamvis diversis errantes modis, naturae limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroq; finibus bonorum ponerent & malorum. Ex qua tripartita velut generalium distribuzione Sectarum M. Varro in Libro de Philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter & subtiliter scrutatus advertit, ut ad CCLXXXVIII. sectas, non quæjam essent, sed quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillimè perveniret.

#### Th. XXI.

Enimvero, si Experientiam consulamus, videtur in hunc usque diem verum esse, quod jam olim, apud Aristotelem L. I. Politic. cap. 5. dixit Solon:

Πλάτων δ' ἀδεν τέρπαι μεθασμένον αὐθεγίστι κεῖται,  
Finis opum positus non est mortalibus ullus.

Sed recte Aristoteles d. i. Possidere, inquit, tantum bonorum, quod satis sit ad benè vivendum (αὐτοίς πέρι αὐτόθιν ζωήν) non est infinitum. Fixus enim est, quemadmodum ceterarum artium (terminus.) Nullum enim Instrumentum ullius Artis est infinitum, neq; numero neq; magnitudine. Divitiae autem Instrumentorum multitudo sunt & Reip. & domi accommodatorum. Ita nimirum illæ se habent τῇ Φύσῃ, ex natura sua, quam observat sequiturque appetitus rectus; deserit ac evertit perversus. Quid autem ille ad Nos?

#### Th. XXII.

Vis eiusdem (5.) in Cognitione humana.

Idem in Intellectu Discriben adhibendum est, qui, si perversus sit, pedemque calceo, quod est, falsæ imaginationi suæ res aptet, in infinitum progredi non erubescit; qualem supra in Th. 12. & 17. saltum jam vidimus: Si rectus sit, calceumque pedi, hoc est, conceptus suos, ceu par est, rebus ipsis conformet, id vitii nullo modo committet. Modum enim cognoscendi,

scendi, modò rectè sese habeat, modus essendi (finitus h.l. finitum) semper sequitur.

### Th. XXIII.

Hinc intelligis, nos à negata *superius infinitate in causis*, imò in rebus omnibus creatis, ad negandam infinitatem in cognitione firmiter concludere posse; qui medius terminus tām efficax est, ut valeat reciprocè. Rectè enim, inversò ordine *Bernaldus de Quiros loc. cit. p. 58.* à negata infinitate in cognitione ad negandam infinitatem in causis concludens: *Quomodo cung̃, inquit, singatur processus in infinitum cognitionum reflectentium super alias distinctas, tandem veniendum est ad unam cognoscētē incognitam: Similiter erg̃, implicat manifestam contradictionem, quod detur una actio producens aliam actionem, & ista aliam, & haec aliam sine fine, quia tandem detur absolutus terminus, super quem cadant omnes actiones, & ad quem ordinantur; ergo similiter, quantumvis singatur processus causantium, quasi à parte ante, ut haec causa producatur ab alia, & haec ab alia sine fine; opus rāmen erit, ut omnia nitantur in causa incausata.*

### Th. XXIV.

Inter eas verò, quas Aristoteles adducit, rationes primum locum meretur illa, quā concludit ab absurdo; positō hujusmodi processu, scientiam dari non posse. Hinc non obiter illa, sed cum cura proponitur in nostro capite bis, verbis quidem jam *suprā Th. 4. allegatis*; nimirum ut à causis tam ejusdem quam diversi generis cognitionem, per Processum in infinitum, desumi non posse ostenderet. Imò eadem prorsus inculcat *I. poster. Analyt. cap. 22. sub initium: Si licet definire, vel si cognosci potest, quid res sit, infinita verò percurerre non licet; necesse est ea esse finita, qua attribuuntur in questione quid est.*

### Th. XXV.

Atque hic etiam præcipuus est hujus scalæ usus, ut in principiis Vfus huius cognoscendi finem & in eorum fine scientiam inveniamus. Elegans scalæ inter Aristoteles *I. Poster. Analyt. cap. 21. t. 5. περιεργατικῶν οὐσιῶν ἀπόλετον, Scientiis, finitae sunt viæ.* Et propriè *ibid. cap. 22. t. 29. si sunt principia, nec omnia sunt demonstrabilia, nec in infinitum iri potest.*


### Th. XXVI.

Absit autem, ut per haec Deo ipsi cognitionem infiniti cum Somero denegare velimus. Sic enim Vir alias Doctissimus in *L. II. Metaphys.*

Metaphys. cap. 2. infine. Dico, 'hoc esse principium indubitatum', & cum natura infiniti hæc sit, ut nullos unquam admittat terminos, non posse percurri aut comprehendendi id, quod est magnitudine aut numero actu infinitum, neque ab intellectu increato, id est, neque à DEo, neque à creato, id est, ab Angelis & Hominibus. Implicat enim contradictionem, esse infinitum & comprehendendi, quia comprehensio infert fines. Nec refert ( ita pergit post Thelin adversus Antithesin, ) quod DEi virtutem ( Fonseca & Svarez ad hoc capūt, ) infinitam dicant. Nam quod simpliciter est incomprehensibile, neque ab infinita virtute est comprehensibile secundum se totum, ita ut aliquando comprehensum dicatur, nihil que ejus restet comprehendendum. Deinde falsum etiam est, virtutem DEi esse infinitam, cum necessariò foret in materia, ut ostenditur IIX. Metaphys. t. 46. Nugas igitur ( sic tandem hanc de infinito quæstionem finit, ) vendunt. Quam censuram utinam illi retorquere non possent! Virtus enim DEi omnino infinita est, eique repugnat materia: tantum ab est, ut ad eam requiratur. Nec contra infiniti naturam est, comprehendendi ab infinito, sed tantum à finito. Modus enim cognoscendi ( non tantum objectivè sed & subjectivè, ) sequitur modum essendi. Non tamen respondere curabimus ( quod de se dicit Cartesius part. I. princip. p. 8. n. 26. utinam candidè; vid supra Tb. 17. ) qui querunt, an si daretur linea infinita, ejus media pars etiam esset infinita? Vel an numerus infinitus sit par anè impar? Et talia; quia de iis nulli videntur debere cogitare, nisi qui mentem suam infinitam esse arbitrantur. Sufficiat, DEo suam constare in omnibus infinitatem; cui etiam proinde sit

Laus, Honor atque Gloria in infinita  
Secula!

F I N I S.



Coll. diss. A. 2, misc. 20